Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, DE

FAME CANINA,

Qvam,
Conſentiente Gratioſiſſima
FACULTATE MEDICA,
In Illuſtri Academia Wittenbergenſi,
PRAESIDE
Magnifico, Nobiliſſimo, Ampliſſimo, Excellentiſſimo, atqve Experientiſſimo

DN. PAULO GOTTFR. SPERLING,

Med. Doct. & Anatom. atqve Botan. Prof. P
longe celeberrimo, Facult. Med. p. t. Decano Spectabili,
Domino, Patrono ac Promotore æternum devenerando,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores & Privilegia
Doctoralia rite conſeqvendi,
Ad D. Auguſt. Ann. cIↃ IↃc XCIX.
Horis ante & poſt meridiem ſtatis,
Publico Eruditorum Examini ſubmittit

AVGVSTUS FRIDERICVS HEVNISCH,

Coburg-Francus.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.

I. N. J.

QVod capiendi victus deſiderium, communi appetitus nomine venit, & magno Dei immortalis munere ad continuandam feliciter vitam hominibus datum eſt: illud, ut omnes actiones corporis, modo recte valere, corpusqve tueri ac conſervare: modo lædi magnopere,& vel penitus aboleri, vel minui ſaltem, aut etiam modis variis depravari, & augeri,malaqve multa & gravia inferre,qvotidie edocemur. Haud enim raro fit,qvosdam a cibis plane abhorrere,oblatosqve faſtidire ac reſpuere,uti videmus in Anorexia. Plurimos minus,aut tardius, qvam natura exigat,cibum appetere,in Dyſorexia obſervamus. Alios experimur a victu humano alieniſſima, nec raro noxia maxime,appetere & devorare,lutum puta, cretam, corium,carbones,calcem,pannos veteres, picem, arenam, fermentum,aliaqve ejus generis innumera,ut fieri in Pica ſolet. Nonnullos deniqve cum deliqvio animi & virium dejectione cibum appetere, avideqve eun-

dem devorare, interdum etiam, canum inſtar, vomitu reddere, in Bulimo & Appetentia, ſive Fame canina, perſpicimus. Hos inter affectus, qvi crebro nimis freqventerqve hominem affligunt, eaqve propter accuratam merentur indagationem, poſtremus mihi hac vice viſus fuit dignus, de qvo Diſputationem Inauguralem, pro viribus exigui ingenii, conſcriberem, conſcriptamqve publico Eruditorum examini, pro impetrando in Medicina gradu Doctoris, more majorum ſubmitterem. Faxit Divinum Numen, ut hoc meum inſtitutum ex animi ſententia ſuccedat!

I.

HIc igitur, de qvo in præſentiarum agere conſtituimus, affectus Græcis Κυνορεξία, Latinis Fames & Appetentia canina dicitur, qvia maxima & inſatiabilis vorandi cibi eſt cupiditas, qva alimenta copioſiſſima avidiſſime ingeruntur, ac non diu poſt, plerumqve per vomitum, raro per inferiora, egeruntur, & iterum alia comeduntur, ſine inſigni famis diminutione, propter acrimoniam, hærentem in ſtomacho, hujusqve tunicam nerveam, ac orificium inprimis ſiniſtrum, vellicantem. Namqve qvi eo afficiuntur malo, hi edulia ingenti copia, maximaqve cupiditate devorant, & parum plerumqve potus ſuperbibunt. Repleto autem ventriculo, fames non omnino ceſſat, ſed aliqvanto tantum mi-

tior

tior evadit. Paulo poſt paſtum, omnia aſſumpta, vel magnam eorum partem, iterum evomunt, raroqve per inferiora deturbant, qvæ qvidem, exiguo temporis ſpatio adeo acida in ventriculo facta ſunt, ut ab adſtantibus nidor acidus naribus percipiatur, ægriqve ipſi illa, nunc hunc, modo illum acorem referre dicant. His ejectis, præ ingenti fame, mox vorare denuo nova cupiditate incipiunt, rurſumqve, ut canis, qvod aſſumtum eſt, vomitu extundunt. Atqve ſic, alternatim vorando vomendoqve, fere ſemper occupati ſunt ægri, niſi ſomno, vel penuria alimenti, impediantur. Interim paulatim emaciantur, atqve in langvorem vitium, multaqve alia mala tandem incurrunt.

II.

Subjectum, ſive pars primario affecta, eſt ſedes appetitus naturalis, nimirum ventriculus, utpote in qvo cauſa continens ſtabulatur, morboſamqve hanc diatheſin efficit. Maxime autem tunica ejus interior nervea afficitur, qvæ cruſta villoſa obducta, atqve in plicas varias corrugata, & contracta, ex glandulis, qvibus abundat, numeroſiſſimis, lympham, ſalivæ æmulam, ſive fermentum & menſtruum ventriculi, fundit, cujus ſpiculis ſalinis, in ſtatu naturali volatilibus, & enixis, titillantibus prædictam tunicam nervoſam, fames & appetitus naturalis excitatur, atqve inchoata in ore, ſumptorum ciborum ſolutio digeſtioqve, in ſtomacho continuatur. Qvo magis igitur, pravis imbu-

ta humoribus iſthæc tunica vellicatur, & pungitur, ac qvodammodo moleſte afficitur, eo majorem vorandi cupiditatem inducit, ſubindeqve dolorem arceſſit. Non autem exiſtimandum eſt, ventriculi orificium tantum ſiniſtrum humoribus vitioſis obſideri, ut volunt nonnulli; ſed ſtatuendum potius, eosdem, qvoad maximam partem, prædictæ membranæ, rugis impactos eſſe, indeqve ſubtiliorem eorum partem aſcendere, atqve ad orificium illud emitti, ſicqve nimium illum appetitum provocari. Qvodſi enim omnes pravi humores illo in orificio conjunctim hærerent, fieri aliter non poſſet, qvin cardialgia, aut inſignis ventriculi morſus & ſingultus ſuborirentur, qvæ tamen ſymptomata raro adeſſe deprehenduntur.

III.

Neqve vero tunicam ventriculi tantum nervoſam, ſed etiam alteram mediam carnoſam, hic affici putarim, ita qvidem, ut ob moleſtum ſenſum, tunicæ nerveæ impreſſum, convelli illam contrahiqve exiſtimem. Namqve hæc altera ventriculi tunica, motui inprimis inſervire videtur, ac propterea fibris craſſis, carnoſis, & motricibus inſtructa eſt, qvarum aliæ juxta *Verheyen & Williſium*, exterius in orbem ventriculum cingunt, aliæ interius per eundem obliqve excurrentes, ſuperius ſiniſtrorſum, inferius dextrorſum reſpiciunt. Præter has vero fibras carnoſas, aliæ per ventriculi ſummitatem, ſecundum ejus longitudinem, excurrunt, qvæ

ſini-

ſiniſtrum orificium cingunt, indeqve verſus dextram regionem delatæ, pylori antrum ingrediuntur, atqve in ipſo dextro orificio terminantur; Sicut hæc omnia eleganter *Williſius* deſcripſit *Pharm. Rat. Sect. 2. cap. 2. pag. 5. 8. 11. & ſeqventibus.*

IV.

Hinc vero vomitio in Fame Canina derivanda venit, cum nempe irritatis nerveis fibris tunicæ intimæ, fibræ motrices tunicæ carnoſæ, qvæ ab uno ventriculi orificio, ad alterum exporriguntur, verſus ſiniſtrum orificium convulſæ, ubi magnus eſt nervorum plexus, ſurſum, qvod noxium eſt, ſtatim expellunt, ne diutius ventriculum infeſtet. Motus enim fibrarum, naturalis & periſtalticus, ab orificio ſiniſtro in dextrum diffunditur; ſed motus convulſivus, in vomitione, huic eſt contrarius, & contractis fibris, in ſtomachi orificio, eædem verſus eam partem contrahuntur. Quin etiam fibræ carnoſæ, qvæ in orbem ventriculum cingunt, contrahuntur, ut qvod noxium & adverſum eſt ventriculo, eliminent.

V.

Dum autem ventriculum pro ſubjecto primario Famis Caninæ habemus, non excluſam penitus volumus productionem ejus, qvam inteſtini duodeni nomine appellant, huicqve adjacentem glandulam pancreatis conglomeratam, utpote ex qvibus partibus, male conſtitutis, veluti ex foco, & nido, delati ſucci

ci pravi, lymphaṁ ventriculi & tunicam interiorem inqvinare, famemqve augere & intendere, & poſt detruſa deorſum, vel ore rejecta, alimenta, eandem mox renovare, & potentius urgere interdum poſſe, non difficulter *Sylvio* largimur *Pr. Lib. I. c. 2.* Sed immerito a veteribus lienem hic accuſari audias, qvippe cum ille pro ſede & receptaculo ſucci melancholici, ab illis perperam habeatur, falſoqve dicatur fermentum inſpirare ventriculo, ac nullæ adſint viæ, per qvas ex eodem immediate ad ventriculum deferri aliqvid poſſit. Et qvamvis interdum lien, in voracibus qvibusdam & edaciſſimis, putris & corruptus fuerit repertus, ſicut annotavit *Ballonius Epid. & Ephem. Lib. I.* tamen illi lienis vitio voracitas male tribuitur, cum ex eodem fonte, ſangvine nimirum impuro, ſuccosqve acres & acidos, cum in lienem, tum in ventriculum, partesqve alias deponente, viſcus utrumqve, nimirum lien & ſtomachus, vitium capere atqve hic ſæpe chylum pravum elaborando, cum totam maſſam ſangvineam, tum viſcera, interqve ea lienem, male afficere atqve corrumpere ſoleat. Adeo ut non raro pro cauſa affectus cujusdam habeatur, qvod ejus eſt effectus atqve productum.

VI.

Cauſa Famis Caninæ proxima eſt continua tunicæ ventriculi nerveæ vellicatio ac roſio, qvam tantam interdum fuiſſe hiſtoriæ medicæ teſtantur, ut inde cruſta

villo-

villoſa multis abraſa fuerit. Ita enim *Blaſius Obſ. Anatom.p.122.* ſcribit de qvodam viro, appetitu inexplebili diu laborante, in cujus diſſecto cadavere ventriculus ingentis magnitudinis, flatuqve diſtentus, & cruſta villoſa variis locis privatus, fuit repertus, in qvibus vaſa ſangvinea preſſa, ſangvinem manifeſte effundebant, ſtomachus vero inverſus acidum ſpirabat odorem. Ea vero continua vellicatio & roſio, utplurimum ab humoribus acidis, plus minus concentratis, & viſcidis, ac interiorem ventriculi tunicam laceſſentibus, ingeſtaqve qvævis acore ſuo impprægnantibus, exoritur. Namqve ejus indolis acrimoniam non ipſi tantum ægrotantes percipiunt, ſed etiam cibi ore rejecti produnt & ſpirant. Atqve illi qvidem humores acidi, nunc ipſo in ventriculo, acore præternaturali, ceu fermento qvodam, lympham digeſtricem, asſumptaqve cuncta, inqvinante, imprægnato, gignuntur: nunc aliunde ex pancreate, inteſtinis, ipſoqve ſangvine, & arteriis, per glandulas ſtomachi transmiſſi, accedunt, ac tunicæ illius rugoſæ tam firmiter adhæreſcunt, ut ægre exinde avelli ac ſeparari poſſint. Hac conſtitutione acida, cum ingeſti etiam cibi inqvinentur ac corrumpantur, ſicqve vellicatio moleſtior fiat, mox e cerebro copioſis ſpiritibus, ad ventriculi inferiores fibras determinatis, fit inferiorum tunicarum ventriculi con-

tractio convulſiva, atqve expulſio contentorum, ſive evomitio; qva qvia dictus humor acidus, ventriculi rugis firmiter adhærens, nec diſſolvitur, nec ejicitur, imo potius intimius impingitur, fieri porro eſt neceſſe, ut poſt vomitum eadem ingens fames adhuc infeſtet ac perduret. Et qvia hac vehementi fame ſtomachus continuo roditur, ſumptiqve cibi rejiciuntur, ideoqve nutritio debita impeditur, nec parvus atrophiæ ac dejectionis virium metus oritur.

VII.

Hujusmodi autem humoribus pravis non raro vermes junguntur, & lumbrici, in ventriculo hoſpitantes, qvidum aſſumpta alimenta, partim abſumunt, & depaſcuntur, partim roſionem & morſus ſtomachi augent, idem malum producere, vel fovere & augere poſſunt. Ita enim *Marcellus Donatus Hiſt. Mirabili Med. Lib. IV. c. 2.* ex *Nicolo* tradit, de qvadam muliere Florentiæ degente, qvæ propter vermes plures, qvos habebat congregatos in ventre, ſingulis horis comedebat, & ſi aliqvando dimittebat cibum, vehementer cruciabatur: idcirco pluribus vicibus ſurgere cogebatur ad capiendum cibum, ac tandem ſumptis pilulis de Colocynthide, lympham copioſe excrevit, & vermes ultra centum eliminavit, qvo facto appetitus ille nimius ceſſavit, & ægra cum valetudine rediit in gratiam. Sic etiam

iam *Alex. Trallianus* bulimiam deſcribit a verme exortam, qvando *Cap. VI. Lib. 7.* ait, ſe noviſſe qvandam mulierem, qvæ nunqvam cibis ſatiabatur, &, ſi qvando inediam ferebat, ſtatim incidebat in animi deliqvium. Hæc vero ſumpta hiera, vermen eduxit, qvi longitudinem habebat duodecim cubitorum, & tunc vehemens illa appetentia conqvievit, excluſo verme, qvi ad cibum ſumendum compellebat, eumqve aſſumptum conſumebat.

VIII.

Ad productionem & actionem cauſæ proximæ & immediatæ, modo expoſitæ, faciunt cauſæ plures aliæ remotæ, & antecedentes, qvibus humores acidi & eſurini gignuntur & ſuppeditantur. Inter has non eſt prætermittenda melancholica corporis conſtitutio, ſive maſſa ſangvinea, acidis ſcatens particulis, ex qva, ejusdem naturæ lympha, in glandulis ventriculi & inteſtinorum ſolet ſeparari. Inprimis autem huc faciunt ciborum potionumqve acidiorum abuſus, qvibus acore ejusmodi eſurino, ceu fermento qvodam, cum rugæ & glandulæ ſtomachi, tum humores maſſæ ſangvineæ inficiuntur, malumqve hoc ſæpius infertur. Ut vero victus qvalitate, ſic etiam qvantitate & copia, peccans, eidem affectui occaſionem præbere poteſt. Nam defectus ciborum, & protracta diu inedia, humores

corporis acuunt, qvatenus lympha dulcis ſenſim abſumitur & diſſipatur, remanente principio ſalino acido, minus ad evaporationem apto & graviori; copia vero nimia & abundantia alimentorum cruditates ventriculi, ipſiusqve ſangvinis, acidas potisſimum & viſcidas, efficit, propter qvas etiam in febri intermittente qvartana, vehemens & canina ſæpe fames obſervatur. Demum affectus qvoqve animi, ac moeror præſertim diuturnus, & ſuppresſiones excretionum naturalium, inprimis vero menſium ac hæmorrhoidum, & omnia, qvæ cacochymiam acidam introducere, ejusqve vim ſtomacho communicare poſſunt, in harum cauſarum numerum veniunt, de qvibus qvidem plura hoc loco dicere nil attinet. Unicum ſaltim commemoratione adhuc dignum judicamus, qvod ſæpe qvi per nives iter faciunt, hoc affectu laborent, & teſte *Langio in epiſt. p. 679.* Fames Canina, æqve ac bulimus, homines magis cum frigore, ubi omnia nive obſita torpent, corripiat, qvatenus iſta aeris conſtitutio, poros occludendo, acrium humorum exhalationem inhibet, qvi ſenſim in corpore cumulantur, & forte etiam qvatenus particulas acidas, in aere tunc copioſius volitantes, corpori communicat.

IX.

Neqve vero opus eſſe exiſtimo, ut enumerandis ſignis diagnoſticis diu inhæreamus, qvippe cum

cum ea cuncta, ſupra, in medium ſint adducta, atqve affectus ſe ipſum facile prodat, & ex ægri relatione intelligi ſatis poſſit. Apparet etiam, qva ratione Fames hæc Canina a Bulimo, qvæ altera auctæ famis ſpecie eſt, diſtingvatur. Fames enim canina continuum & inſatiabile vorandi deſiderium eſt, conjunctum cum vomitu. Bulimus autem neqve ita continuo affligit, neqve vomitum habet comitem, ſed ſi ingeſtio ciborum aliqvandiu differatur, æger appetitu deſtituitur, atqve in maximas redigitur anguſtias, tandemqve in animi deliqvium incidit. *Ceterum*, inqvit *doctiſſ. Lommius, in Obſ. Med. p. m. 162. in bulimo primum ægri multa fame urgentur, qvæ tamen non omnino immoratur. Qvin animus ſubinde iis deficit, ſimulqve concidit ſpiritus, extremaqve refrigeſcunt. Tum profecto in propinqvo ſyncope eſt, qvam ipſa excipit mors.*

X.

Parum etiam refert, an differentiarum mentionem faciamus, nec ne; licet *Schenckius libr. 3. obſ. med. p. 559.* ex *Braſſavolo* alleget, Ferrariæ aliqvando Famem Caninam epidemicam fuiſſe obſervatam, & *Jeſſenius a Jeſſen* periodicæ voracitatis meminerit.

XI.

Qvantum ad Prognoſin attinet, de ea ita ſta-

tuendum eſt, affectum adhuc recentem, atqve a cauſis externis productum, nec cum morbo diu gravi conjunctum, minus periculoſum, & formidandum eſſe. In corpore autem infirmiore parvi adeo habendus & contemnendus non eſt, præſertim ſi inveteratus ſit, atqve a morbo alio graviore ortum trahat. Non enim raro fit, ut hic affectus in bulimum tranſeat, aut in ſoporem, vel lævitatem inteſtinorum, cachexiam, hydropem, atrophiam, & alios ejus generis morbos degeneret, ipſamqve adeo necem tandem inferat. Neqve ea fame diu durante, fieri aliter poteſt, qvin pravi humores in corpore generentur, magniqve morbi accerſantur.

XII.

In Curatione non amplius ad ſuperſtitioſa confugimus, aut qvod olim in bulimo, teſte *Plutarcho ſympoſiacon l. 6. qvæſt. 8. p. 693.* facere ſolebant, ſolenne feſtum, bulimi, expulſio dictum, celebramus, in qvo, poſt prandium opiparum, mancipium, virgis cæſum, per fores ejiciebatur, cui *ἔξω βέλιμον, ἔσω δὲ πλȣ̃τον καὶ ὑγίειαν* acclamabant. Selecta potius remedia in ſubſidium ſunt vocanda, & ea qvoqve non promiſcue propinanda, ſed ita Curatio inſtituenda & dirigenda eſt, ut primo conſtitutio acida ventriculi humorumqve corporis corrigatur, ac deinde cruditates aliqvaliter correctæ & præparatæ evacuentur, & demum ſto-

ma-

machus roboretur, atqve a novarum cruditatum collectione præmuniatur. Acidum enervant, deſtruunt, & corrigunt medicamenta abſorbentia, & ſic dicta præcipitantia, uti ſunt: Lapides cancror. percar. carpion. corallia, teſtæ conchar. oſtrear. ovor. mater perlar. perlæ C. C. & ebur, philoſophice præparata, & uſta, dens eqvi marin. apri, mandibul. lucii piſc. ſuccinum, terra ſigill. terr. Lemn. bolus armen. cryſtall. mont. creta, antimon. diaphoret. ſimplex & Mart. Bezoard. minerale, Martial. Jovial. Antihect. Poter. Cinab. nativ. & antimon. lap. hæmat. limatura Mart. præparat. Crocus Martis aperitivus, niger & flavus; qvæ ſi cum ſalibus fixis abſinth. card. bened. cent. min. fumariæ, vel ejus generis aliis, recte inter ſe miſceantur, additis nunc aromatibus ipſis, nunc eorundem oleis ſtillatit. inprimis vero cinamomi, caryophyll. juniper. nucis moſchat. vel macis, laudanoqve opiato, vel hyſterico, varii generis pulveres abſorbentes confici posſunt. Hujusmodi ſunt ſpec. diacret. Mins. pulvis cachect. & ſtomach. Qvercet. qvorum virtus additione coralliorum matris perlar. antimonii diaphor. & ſimilium abſorbentium, ipſoqve laudono opiato, augeri varie poteſt. Ipſa etiam ſalia fixa, per deliqvium ſoluta, & inter hæc oleum tartari per deliqv. magnam vim temperandi acidum habent. Conveniunt etiam ſalia volatilia, ſimpl. & oleoſa,

ut

ut & ſpiritus vini, tam purior, qvam, qvi magis uſitatus eſt, modis variis factus aromaticus. Hic enim uti ſpiritus acidos ſalis, nitri, vitrioli, extra corpus, ita qvoqve in eodem acorem ſtomachi enervat. Unde etiam Elix. propr. ſine acido & antiſcorbuticum, atqve Eſſentiæ qvævis amaræ & aromaticæ, card. bened. centaur. min. abſinth. multum proſunt, inprimis ſpiritu ſalis ammoniaci ſimplici, vel aniſato, ſpiritu bezoardico Buſii, vel alio ſale volatili, oleoſo miſtæ. His qvoqve annumerandæ ſunt Eſſ. Carminativa, ſuccini, maſtich. caſtor. & ambræ, & merito etiam laudantur tincturæ Martiales, cydoniat. pomata, tinct. mart. aperit. Zvvölfferi, tinct. Mart. abſinth. eſſ. mart. vitriolat. antiſcorbut. liqvor martialis, qvorum virtutes notiores ſunt, qvam ut a me exprimi debeant. Neqve demum negligenda aromatica, & ex his compoſitæ ſpecies officinales diazingiberis, diagalangæ, diacumini, Aromat. roſat. &c. Adhiberi qvoqve poſſunt, & interdum debent, decocta & infuſa ex rad. capparum, helenii raphani, ruſt. galang. zedoar. caryophyllat. acor. chinæ lign. ſaſſafras, Gvaiaci, cort. citr. aurant. cinam. caryoph. herb. card. bened. cent. min. cochlear. naſturt. aqval. puleg. hyperic. eupator. ſcolopendr. meliſſa, ſalvia, rore marin. ſerpill. majoran. fl. chamom. baccis. laur. ſeminibus qvatuor calidis, & aliis aperitivis, acidumqve invertentibus,

tibus, & viſcidum abſtergentibus. Huc etiam referendæ ſunt Potiones largiores, ex aqvis deſtillatis cinamomi diaborag. cynodiat. menth. meliſſ. cortic. aurant. & ſimilibus, cum ſupra laudatis pulveribus, eſſentiis atqve tincturis miſtæ, & parce ſirup. de canella, de card. ben. corticum aurant. abſinth. &c. edulcatæ, qvæ partim diluunt acrimoniam lymphæ, partim corrigunt, eamqve ad ſtatum naturalem ſenſim redigunt.

XIII.

His itaqve ſelectis qvibusdam, & cujusvis conſtitutioni, convenientibus, ubi ſaturati corrective qvodammodo ſunt humores acidi, & viſcidi, ibi poſtea qvandoqve conveniunt evacuantia, prout hærentes in ſtomacho, vel inteſtinis, cruditates, ægriqve conſtitutio & vires, eadem admiſerint. Neqve vero prius evacuatio humorum acidorum inſtituenda, qvam correcti illi ac præparati fuerint, qvia, ut optime *Sylvius* annotavit *loc. cit.* nulla remedia ſunt cognita, qvæ humores acidos e corpore blande educant, atqve per experientiam conſtat multiplicem, irritari qvidem eosdem, non item, niſi cum ſummis interdum torminibus & noxa ſæpe majore, qvam fructu evacuari, ſic, ut ſi ſurſum, ante coctionem, eliminare geſtias, Choleram, ſi deorſum, Dyſenteriam excitari poſſe qvidam ſuſpicentur.

 tur.

tur. Commodiſſime itaqve aliqvaliter correcti, humores vitioſi, ſi vires & alia conſentiunt, per inferiora eliminantur, ubi ſtimulus ex rhabarbar. aloe galapa & ejus reſin. ſpec. diagalap. fol. ſenæ & ſimilibus optime conficitur. Hinc epidemica fames canina, cujus ſupra meminimus, infuſo foliorum ſenæ, feliciter fuit ſublata, æqve ac *Foreſtus* purgantia ex hiera, gialap. & rhab. in fame canina cum ſucceſſu exhibuit. Qvod ſi vero vermes adſint in ſtomacho, vel inteſtinis, nulla amaris atqve mercurialibus, mixtis cum purgantibus, præſtantiora ſunt remedia.

XIV.

His rite peractis, corroborandus eſt ſtomachus remediis inprimis amaris & aromaticis, ſalibusqve volatilibus, C. C. ſuccini & aliis, qvæ jam ante laudavimus. Hisqve interdum martialia atqve abſorbentia convenientia ita interponenda ſunt, ut omnis acor vitioſus ex corpore proſcribatur, ac ita temperentur humores maſſæ ſangvineæ, qvo lympha purior, ſaleqve volatili prægnans, in glandulis ſtomachi ſecernatur. In qvem finem etiam extrinſecus Fotus & Linimenta atqve Emplaſtra, particulis ſalinis, ſulphureis, & volatilibus pollentia, regioni ſtomachi admovenda ſunt, qvo, cum intus, tum extus agentibus remediis, bona ejus-

jusdem conſtitutio procuretur & conſervetur. Inter multa præſtantia ſunt ſola olea abſinth. caryophyll. macis vel nucis moſchat. calide inuncta, qvibus, ſi vermium adeſt ſuſpicio, amara, ex felle tauri, aloe, abſinthio & ſimilibus parata, *juxta Michaelem*, commode junguntur.

XV.

Sed fruſtra hæc omnia inſtituentur, niſi apta & conveniens acceſſerit Diæta. Igitur in victu prohibenda ſunt alimenta ſalſa & acida, & eligenda his contraria, ex carnibus vervecinis, bubulis, agninis, vitulinis, gallinis & ſimilibus, qvorum juſcula condienda ſunt cum chærefolio, ſerpillo, ſalvia, meliſſa, roremarin. fol. laur. ſemine aniſi, fœniculi, nuce moſchat. caryoph. cinamom. raphano ruſt. & Zingibere. Cum fructu etiam qvandoqve exhibentur pinguia, qvatenus ſpicula ſalina rodentia obtundunt, unde butyrum vel ſolum, vel cum limatura martis, in robuſtioribus locum habet, & oleoſa commode largiori manu diſpenſantur. Hæc enim inter famis caninæ remedia, jam olim, veteres referebant, & *Oribaſius* ac *Avicenna* eadem approbant, adeo ut hic in fame canina oleum amygdalar. cum ſaccharo commendet, & *Part. ſecund. tertii can. c. 7. de deſtruct: appet. tract. 2.* referat, qvendam miniſtrum regium iter facientem olei

vio-

violacei, cum adipe mixti, libram unam aſſumſiſſe, & inediam, per decem dierum ſpatium, absqve ulla fame ſuſtinuiſſe. Potus ſit minime acidus, ſed ſubdulcis, ut cerevisia bene defœcata, lupuloqve condita, & ſi qvis vino delectetur, id generoſum, dulce & medicatum, ſive aromaticum & Hippocraticum eſſe debet. Panis vero ſit bene & non nimis fermentatus, qvi ideo qvibusdam ita dicitur, qvod τὴν πεῖναν famem placet, & tam præſens ejus eſt remedium, ut jumenta & homines feſſos ſolo odore modico reficiat, & *Brutum*, Romanorum Conſulem, in itinere, animi deliqvio, ex bulimo, correptum, veluti Democritum odore refocillarit. Detur porro opera, ut omnes excretiones, inprimis alvi, recte reſpondeant, & non minus uſura aeris, qvam ſomno & vigiliis, ac motu corporis, affectibusqve animi, ad rectam temperiem humores reducantur, inprimisqve mœror & triſtitia, & triſtia qvælibet pathemata fugiantur.